



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hviſs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXV. Quali cum Effectu, & Præparatione communicetur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

solam voluntatem meam: *Hoc facite*: sic volo, sic iubeo, vos *facite* ritu tali sensibili, hoc sacramentalis; non sola voluntate mea, hoc est modo miraculoso, & non sacramentali sensibili.

4. *Hoc vere facite*, non historice solum recitate, non solum predicare, *manducate*, non solum Credite fide excitata. Ita omnis retro posteritas *Facit, Fecit, Facit*: nil *Fingit, &c.*

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHER. Baptizatus omnis potest administrare Eucharistiam; at ob confusionem ordinis ecclesiastici non vulgandum.

CALVINVS id præfractè negat.

CHRISTVS. Ego præcepi, *Hoc facite*, cunctis quidem Christianis sc. *manducate, & bibite*: at solis Apostolis, *Benedicite, Frangite, Distribuite*.

1. Cùm enim Sacramenta conficiantur in persona mea, ideo nil is facit, cui Ego non id commisi. Vnde Lucas; qui solus scribit, *Hoc facite*; solum præmiserat, *Accipit, benedixit, dedit*: quasi dicat, *Hoc, quod solorum est Sacerdotum facite*. Quia autem ego ipse manducaui & bibi; ideo & vos *manducate & bibite* sub eodem præcepto.

2. Quia si omnibus mandassem; benedicere & distribuere omnes tenerentur: quod per absurdum foret: ideo nunquam sic vsquam intellexit Ecclesia. Quare solos attinet Sacerdotes mandatum hoc.

QVÆSTIO XXV.

Quali cum Effectu, & Preparatione Communicatur?

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS: Preparatio optima est, ante retroque scaturere peccatis: Effectus Remitti peccata: Indignitas accedendi est, vacare culpa. LVTHERANI Remissionem pec. credunt, cætera rejiciunt.

CALVINVS variat, eadem asserendo; & negando. Vide *Luthero. c. p. 3. q. 60.*

CHRISTVS. 1. At ego, *Ioan. 6.* assero, ad vitam sumi panem cœlestem nutriendam ac conseruandam. Et aduersarij fatentur me loqui isthic de spiritalis manducationis effectu. etsi de symbolis agi pernegent. At *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Id quod externæ species attestantur. Cibum verò mortuis dari absurdum.

2. Deinde Eucharisticæ Figuræ præmonstrarunt idem: vt Elus agni, *Num. 9. & 2. Paral. 30.* à purificatis solum vescendi. Item panes propositionis: *1. Reg. 21.* Carnes sacrificiorum, *Leu. 22.* qui pollutus edebat, peribat anima eius de populo.

3. Et vero ideo, *Ioan. 13.* Laui pedes discipulorum prius, quam Synaxim adirent. Sic *Luc. 15.* Filius prodigus ante pœnitebat reconciliatus patri. Carens veste nuptiali, *Mat. 22.* eiectus è nuptiis dire punitur.

4. Hinc Apostolus, *1. Cor. 10.* *Vnus panis, & vnum Corpus multi sumus, qui de Vno Pane participamus*. Eò, quod Eucharistia solum profit vnitis in Charitate viua membris. Proinde, *1. Cor. 11.* *Probet seipsum homo, & sic de Pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi man. & bibit*. Neque probatus is censetur, qui solum credit; sed quem expiatum non arguit conscientia; qui que seipsum iudicauit.

—o—o—

8

QVÆ.